





1717, 3 584.

81

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE

**POTESTATE JU-  
STI TITULI IN FICTO  
DOMINIO,**

*Ad l. 45. ff. de Usur.*

Quam

*DIVINI NUMINIS AUSPICIO,*

EX DECRETO ET AUTORITATE MAGNIFICI JCTORUM  
ORDINIS,

*IN ILLUSTRJ HAC VIADRINA,*

PRÆSIDE

**DN. HENRICO de COCCEJO,**

JCTO FAMIGERATISSIMO,

AUGUSTI ET POTENTISSIMI BORUSSÆ REGIS

CONSILIARIO INTIMO, FACULTATIS JURIDICÆ ORDINA-  
RIO, SENIORE ET PROFESSORE PRIMARIO,

*Patrono ac Promotore suo omni honoris & observantia  
cultu devenerando,*

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA  
RITE CONSEQUENDI,

*Ad Diem Junii An. MDCCXVII.*

Horis ante & pomeridianis Publico Examine  
submittet

**JOHANNES CHRISTIANUS WELLMANN,**

Magdeburgicus,

Judicii Francofurtensis Secretarius.

FRANCOF. ad VIADR. Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.



DEPUTATIO JURINICA INAUGURALIS

DE

POTESTATE

IN FACTO

DOMINIO

ANNO 1858

DE

DR. HENRICO DE COCCO

ET AUCTORITATE MAGISTRI

ORDINIS

PRÆSIDENTIS

DR. HENRICO DE COCCO

IN

ALBERTI PATENTIS

CONSILII OPTIMI FACULTATIS JURIDICÆ ORDINIS

PRÆSIDENTIS ET PROFESSORIS PRIMARIO

PRÆSIDENTIS ET PROFESSORIS PRIMARIO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN DIPLOMATE HONORES AC PRIVILEGIA

ERIT CONSEQUENDI

ANNO 1858

HONORIS ET POTESTATIS


IN

JOHANNES CHRISTIANUS WELLMANN

SECRETARIUS

JOHANNES CHRISTIANUS WELLMANN





## SECTIO I.

De

### Natura & vi titulorum juris in genere, eorumque distinctionibus.

#### SUMMARIA.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. <i>Omnis domini &amp; juris in re speciem esse à titulo, non à bona fide.</i></p> <p>2. <i>Bonam fidem à nullo jure abesse posse.</i></p> <p>3. <i>Negotia stricti juris non magis carent ullà bona fide, quàm ipsa negotia bonae fidei.</i></p> <p>4. <i>Ex ea ergo non distingui jura in rem &amp; in Personam.</i></p> <p>5. <i>Unde titulorum seu causarum usus.</i></p> <p>6. <i>Gentes distinxisse negotia formis, &amp; quotidiana nominibus quoque.</i></p> | <p>7. <i>Ea negotia esse causas seu titulos commutandi juris.</i></p> <p>8. <i>Constare eas vel plurimum consensu, vel factò unius.</i></p> <p>9. <i>Transferri inde vel jus in rem vel in personam.</i></p> <p>10. <i>Specialius in jure causas seu titulos dici, quibus jus in rem transfertur.</i></p> <p>11. <i>Causam seu titulum transferendi juris in rem in genere esse voluntatem domini, eamque significari per titulos.</i></p> <p>12. <i>Et inde unicè discerni jura in rem à cæteris.</i></p> |
|---|--|

A

S. I. Ple.

(2.)

§. 1.



Lenum rationis & soliditatis est  
jus illud ficti dominii, quod ju-  
re Romano formatum est ex  
causa seu titulo dominii trans-  
lativo in re aliena. Verum vis  
ejus & ratio vulgo magis in bo-  
na fide statuitur, quam in titulo:  
cum hujus potiores sint partes,  
& in quæstionibus acquirendi  
dominii, ut veri, ita ficti, vis omnis specifica in ti-  
tulo, tanquam in causa transferendi dominii sita est.

§. 2.

Etsi enim & bona fides requiritur, ea tamen  
communis est qualitas, quæ à nullo jure, sive in re,  
sive ad rem, nec ab ullo negotio, etiam stricti juris,  
abesse potest. *l. 116 pr. ff. de Reg. Jur. l. 21. ff. locat. cond.*  
Generaliter enim traditum est, nemini ex sua ma-  
la fide, vel dolo, vel delicto, jus ullum sive in rem,  
sive in personam, adquiri posse. *l. 134. §. 1. ff. de Reg. Jur.*

§. 3.

Neque putandum est, eo invicem fecerni bonæ  
fidei & stricti juris negotia, quod in his ulla bona fi-  
des, aut quicquam æquitatis desit, aut minus plena  
ac perfecta, aut minus necessaria ea sit, quam in illis.  
Non enim ratione æquitatis quicquam interest inter  
negotia stricti juris & bonæ fidei, sed in utrisq; quod  
fas, æquum ac justum est, æqualiter spectatur, &  
æque exigitur; sed in illis prioribus in plura judi-  
cia distrahitur. Differunt ergo saltem agendi mo-  
do, & facultate, quia in his posterioribus, quicquid  
bonæ

(3.)

bonæ fidei seu æquum est, unius judicii compendio concluditur, in illis, quæ stricti juris sunt, in plura judicia dispescitur. Sed id hujus loci non est.

§. 4.

A bona fide igitur, quæ omnibus juribus & negotiis communis esse debet, non potest peti discrimen inter jura in rem & jura in personam, seu inter dominia & obligationes, vel negotiorum gestiones; sed in univèrsum id pendet à titulo seu causa. Quod proinde caput loco disputationis inauguralis brevissimis enotare visum est.

§. 5.

Scilicet cum in civili vita varia quotidie fiat rerum ac jurium permutatio, nec semper re tradita id agatur, ut res ipsa seu dominium, sed sæpius, ut particula tantum aliqua jurium, sive in rem, sive in personam transeat, maximè omnium interest, ut sciatur, quid partes pro varietate negotiorum actum, quid translatum, quæsitumve voluerint. Neque enim solent homines actum, ejusque circumstantias omnes pleno verborum ambitu describere, sed celeritate transigendi negotii ad vocum vel nominum compendia confugere. *arg. l. 66. ff. de hered. inst.*

§. 6.

Hinc non modo communi Gentium usu distincta sunt negotia; *l. 5. ff. de just. & jur.* ut constaret, quale jus ex unoquoque negotio, tanquam ex causa sua & quasi à capite suo procederet; sed & quadam horum negotiorum, quibus homines ad quotidianas suas necessitates, seu indigentias vix unquam carere possunt, ipsa usus assiduitate & commercii assuetudine ac frequentia in certam sensim formam, pro-

A 2

prium.

(4.)

priumque nomen abierunt; uti sunt contractus juris Gentium nominati. *d.l. 5.*

§. 7.

Hæc ergo negotia, ita jure Gentium discreta, sunt causæ illæ, quibus tum jurium commutationes inter homines fiunt, synallagmata inde dicta; *l. 7. §. 2. ff. de Pact. l. 19. ff. de Verb. signif.* tum jura, eorumque formæ ac species ab invicem distinguuntur; inde tituli juris dicti, quia indicant & significant, quale jus & ex qua causa natum inde constitutumque fuerit, vel voluntate seu consensu plurium, vel facto unius. Illud autem significatur & declaratur diversimode, ut aliàs: vel enim ipso negotii, si quod est, nomine exprimitur quale jus inde productum fuerit, ut nominibus emtionis, conductionis & similibus: vel verbis describitur, ut in contractibus innominatis: vel generali quodam nomine aut facto designatur: quæ omnia parem vim in rebus significandis obtinent, *l. 6. ff. de rebus cred.* perinde ut descriptio & res descripta unum idemque sunt.

§. 8.

Præterea causæ istæ vel tituli duorum generum sunt: vel enim plurium voluntate aut consensu jus inde acquiritur, ut ex conventionibus; vel facto unius, ut occupatione &c. Prioris generis sunt, cum res alterius domini est, & ejus voluntate tibi traditur: posterioris, cum res nullius est & à te occupata; ut ex venatione, alluvione, aliisque incrementis fluvialibus, aut modis acquirendi juris gentium: nihilque interest, res alterius sit, & ab eo tibi tradita, an nullius & à te occupata: illæ ex sententia utriusque æstimantur; hæc ex affectu unius: omnesque pari-



(5.)

pariter sunt justæ causæ, justique tituli commutandi, transferendi, vel acquirendi juris cujusdam.

§. 9.

Inprimis vero notari meretur discrimen illud inter titulos dominii seu juris in re translaticos & cœteros. Illi sunt, qui suâ naturâ & cœteris paribus habiles sunt ad dominium seu jus in re transferendum; hi, qui ad jus saltem in personam alterius nomine tenendum & exercendum. Utrumque ex titulo, ejusque genuina significatione accurate fluit, & dignoscitur. Ita cum in instrumento scriptum est; VENDIDISSE, DONASSE, SOLVISSE; his nominibus significatur voluntas transferendi dominii: Si LOCASSE, COMMODASSE &c. hæ voces expriment utendi saltem facultatem, non dominii concessionem: & hæc nomina sunt tituli seu indices voluntatis, quibus, qualis illa sit, perinde declaratur, ac si verborum plena circumlocutione omnia descripta essent.

§. 10.

Hic, cæteris misis, de prioribus, scilicet de titulis dominii translaticis, tantum agimus. Et constat itaque hosce titulos esse veras ac vernaculas justæ dominii transferendi causas, & ab iis pendere ejus legitimam acquisitionem: unde & sensu quodam eximio justæ causæ seu tituli simpliciter in jure dicuntur. *§. si quis a non domino. 35. ibi: ex donatione, aliave qualibet justa causa. de rer. divis. l. 31. princ. ibi; si venditio aut alia justa causa &c. ff. de acquir. rer. dom. l. 1. §. fin. ibi: ex justa causa veluti emtionis. ff. Pro suo. Et recensentur tales causæ in l. 3. l. 4. & seqq. ff. de Publ. in rem. & l. pro soluto 46. ff. de usucap. & libr. 41. Rubric. & tot. tit. 4. §. 6. 7. 8. & 9.*

§. 11.

## §. II.

Cum igitur *supr.* §. 8. duo titulorum genera distincta fuerint, quorum alii duorum consensu, alii unius voluntate nituntur, in utrisque caput rei est animus & voluntas dominii commutandi: In priore specie ex utriusque voluntate dominii transferendi, juxta regulam §. 40. *de rer. div. Nihil tam naturale esse, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi.* Cui adstipulatur lex antiqua: *Uti quisque disponit de re sua.* (seu uti legem rei suæ dicit) *jus esto. l. 20. §. 1. ff. de pact. dotal. & sim.* In posteriore specie ex voluntate unius, qui rem v.g. nullius apprehendit, animo sibi habendi: juxta regulam §. 12. *vers. quod enim ante &c. de rer. div. l. 1. §. 1. ff. de acquir. possess.* In utroque titulorum genere ex sensu humanæ Naturæ intelligitur; voluntas rite declarata. Declaratur illa & innotescit plenissime ex titulo, qui talem voluntatem vel verbis describit, vel ipso nomine exprimit.

## §. 12.

Unde omni luce clarius est, justum titulum metiri acquisitionem dominii, & nec quæri illud posse nisi traditione ex justo titulo, id est, ex voluntate ejus, qui transferre illud vult, & potest; nec aliud quid esse, quod dominia seu jura in rem à juribus in personam re tradita distinguat.

SECT.

(7.)  
**SECTIO II.**  
 De  
**Potestate tituli in ficto  
 dominio.**

SUMMARI A.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. <i>Voce domini generaliter accepta etiam reliqua jura in re appellari posse.</i></p> <p>2. <i>At absurdum videri, dominium esse in re aliena, &amp; quæ pleno jure alterius est, ut in dominio ficto.</i></p> <p>3. <i>Nec pugnam hanc desinere, vel veritatem inde mutari quod dominus ignoretur.</i></p> <p>4. <i>Ad nodum hunc solvendum notatur, jus domini in lite non esse, qui nescitur, nec cum eo agi, sed inter plures possessores rei alienæ.</i></p> <p>5. <i>Hos non contendere de jure absoluto sed comparato: non quis dominus, sed cuius interim jus potius sit.</i></p> <p>6. <i>Causa redditur, cur uni eorum res interim adjudicanda sit, denec dominus appareat.</i></p> | <p>7. <i>In hac questione unice videndum, eique rem adjudicandam, cujus melior causa &amp; conditio est.</i></p> <p>8. <i>Hoc jus potius dici interim justum dominium.</i></p> <p>9. <i>Ad justum dominium primario requiri titulum, deinde bonam fidem.</i></p> <p>10. <i>Bonam fidem efficere ut incensum juris referatur; justum titulum, ut incensum juris in rem.</i></p> <p>11. <i>Ad justum dominium necessariam esse bonam fidem; sed speciem suam illud accipere à titulo.</i></p> <p>12. <i>Ostenditur, eum qui justo titulo &amp; bona fide accepit, tuendum esse contra omnes qui alterutro carent.</i></p> <p>13. <i>Ejus</i></p> |
|--|--|

13. *Ejus jus potissimum esse post dominum.*
14. *Et ex omni parte justum.*
15. *Eumque rem vindicare posse contra omnes excepto domino.*
16. *Si plures justo titulo ac bona fide acceperint, adhuc videndum, cujus causa melior & jus potius sit.*
17. *Si duo contra alium possessorem agunt, potiore esse, cui priori res tradita fuit.*
18. *Idem esse si inter se agant,*
- adeoque regulariter: l. 32. §. fin. *Act. emt. sed tum excipi casum, quo non ab eodem non domino acceperet, l. 9. §. Publ. in rem: neque adeo hos textus pugnare.*
19. *Huic objicitur jus ex priore traditione quasitum.*
20. *Ostenditur, cur illud non obstet in hoc casu excepto.*
21. *Et quid inde differant casus reliqui.*
22. *Omnia hac religiose ponderanda fuisse à Jctis, ne jus incertum maneret.*

## §. I.

**Q**uod de justis causis seu titulis dominii translativis dictum est, id in omni justo dominio, quin in omni jure in re obtinere necesse est. Nam & jura in rem sunt dominia quædam, non quidem corporis, sed juris: justum autem dominium, sive utile sive fictum, etiam corporis. In quibus omnibus quæritur, quid jure proprio nostrum sit, & ex quibus causis nostrum fiat. Quo discernuntur à juribus in personam, quibus non quæritur, quæ jure proprio nostra sint; sed, etsi aliena, an tamen nobis debita. Vid. *infr. Sect. V. §. 4.*

## §. 2.

De dominio autem ficto, quod nunc præmanibus est, immanis scrupulus oboritur: Hactenus enim de dominis actum; nunc de iis, qui non sunt domini.

(9.)

ni, & quibus tamen tribuitur dominium in re aliena, in quam nihil ipsi juris habent, sed quæ tota alterius est & manet. Id vero quam maxime abhorret ab omni ratione: Etenim posse dispo- nere de re non suâ, sed alienâ, pugnat cum ipsâ juris justitiæque substantiâ, quæ non nisi suum cuique tribuit, & tota consistit in alieni abstinentiâ: *l. 10. princ. §. 1. ff. de Just. & Jur. Grot. de Jur. B. & P. in Proleg. §. 44. add. Cic. de fin. bon. l. 5. prope fin.* pugnat, posse jus alii dare, quod ipse non habet, cum naturâ & sensu communi: *l. 20. princ. ff. de acquir. rer. dom. l. 54. l. 120. l. 155. §. 2. ff. de Reg. jur.* Rem totam cum suo fructu esse tui domini, & totum simul cum omni jure esse alterius, non magis simul stare possunt, quàm tuum esse & non esse. *l. 3. §. 5. de acquir. poss.* Enimvero, qui alienæ rei incumbit, ejus prædo est, non domi- nus: neq; dominium istud, sed spoliolum est; non jus, sed injuria.

§. 3.

Et licet dominus ignoretur, id tamen verita- tem non mutat, nec ideo magis, integro unius do- minio, alterius quoque dominium statui aut intelli- gi posse videtur. Neque eximit scrupulum, quod di- versis generis dominia concurrere possint, uti dire- ctum & utile. Nam tum alterum ex alterius pleni- tudine quasi decerpitur, & ex directo pleraque jura transferuntur ad utile, eoque alterum prope exina- nitur. At hîc dominus plenissimo jure manet do- minus, nec ejus dominio quicquam decedere, vel inde patet, quia illud omnibus momentis cum omni jure suo persequi, & rem, quandocunque lubuerit, cum omni suâ causâ vindicare potest. Oportet igitur

B

tur



(10.)

tur omni tempore plenissimum dominium habuisse, quod omni tempore petere potuit; habet enim quod petere potest. *l. 143. ff. de Verb. signif. l. 15. ff. de Reg. jur. l. 52. ff. de acquir. rer. dom. l. 17. princ. ff. de acquir. poss.*

§. 4.

Hæ ut complanentur salebræ, primùm constat, nullam planè in tota hac causâ litem esse cum domino, aut de ejus dominio. Cum quo ergo? inquires: cùm, uti in rem plenissimo jure tuam aliis jus non est, ita nec inter alios de ea lis esse possit: & cùm supponatur, rem esse alienam, qui sit, ut aliis licitum sit jus reale in eam sibi asserere, & de eo inter se contendere, quod ponitur nullum, & neutrius litigantium, sed plenè alterius ac alienum esse? Idque ita in promptu & verum esse, negari nequit.

§. 5.

Dicendum est, in hac causâ nostrâ quod jus vertitur, non esse jus aliquod absolutum, sed comparatè tale: nec quæri, cujus verè jus in ea re sit, sed, cùm neutrius id sit, cujus tamen causa & conditio potior videatur, ut interim penes eum magis, quàm penes alterum res maneat. Casus scilicet est, cùm dominus rei suæ inquirendæ quasi obdormiscit, quæ interim in aliorum manibus hæret, & diu sæpe ita peregrinatur, ut crebro commercio possessores mutet. Cùm igitur dominus neque agat, neque appareat, adeoque nec judex impertiat ei officium suum non imploranti; quæritur, quid interea, dum dominus è veterno & torpore suo emergat, de re statuendum, & cui litigantium interim illa adjudicanda sit.

§. 6.

(II.)  
§. 6.

Enim vero esse uni eorum interim relin-  
quendam, non tantum inde infertur, quia nemo  
alius de ea contendit; sed & quia, si neutri tribui-  
tur, cederet occupanti & prædoni; emtores & rem  
& precium suum perderent; malæ & bonæ fidei  
possessorum par ratio & conditio foret; nec aded  
causa jure definita esset, sed grasfationibus in infini-  
tum patéret, frustra que essent possessoria ceu præpa-  
ratoria, cessantibus in re aliena petitoriis ceu prin-  
cipalibus.

§. 7.

Supereft ergo, ut uni contententium interea  
adjudicetur, & quidem tanquam justo interim domi-  
no, ut alii omnes, excepto vero domino, inde ar-  
ceantur. Dispiciendumque itaq; jam est, quem eo-  
rum potius pro justo domino, cum neuter sit, ha-  
beri oporteat? Resp. Utique iste, cujus melior se-  
cundum dominum causa est, ita ut, licet ipse quoque  
jus in re aliena non habeat, tamen comparatis cau-  
sis, potius habeat, quam reliqui: quod proinde non  
verum & absolutum jus est, sed ex tali causarum  
comparatione nata potentior æquitas & melior ratio  
seu causæ conditio. Expensis itaque singulorum cau-  
sis, & pensatis omnium circumstantiis, illa quæ præ-  
ponderat æquitas, pro justo interim dominio habetur,  
atque ex eo illud effingitur. Certæ enim rationis  
est, ut melior causa præferatur deteriori, non con-  
tra: nec, si alter mala fide rem invaserit, alter ju-  
sto precio & bona fide emerit, huic eam auferri,  
& prædoni, qui fortè possessionem vi occupatam a-  
miserit, restitui, fas videbitur.

B 2

§. 8.



(12.)

§. 8.

Cujus vero jam, domino silente vel latente, potior secundum ipsum causa sit, ex fontibus Sect. I. reclusis, sequitur, & jure Romano exactissime definitum est: Scilicet ejus, qui justo titulo & bona fide rem, etsi à non Domino, accepit: *l. 48. princ. ff. de adquir. rer. Dom.* idque justum dominium dicitur; *l. pen. & ult. ff. de publ. in rem act.* eo sensu, quo justæ nuptiæ, quæ jure civili, & inter cives Romanos valent: *princ. de patr. potest. & princ. de nupt.* & justi liberi, qui arrogati sunt: *l. 2. princ. ff. de adopt.* ut justum specialiter intelligatur, quod secundum leges seu jus civile justum est.

§. 9.

Illud duo requirit: Primario, ut quis justo titulo dominii translativo rem acceperit: Deinde ne ei mala fides labem asperferit. Titulus est principale, & specifica omnis justii dominii causa, ut ostensum Sect. I. ex quo proinde omne dominium speciem suam capit, atque à causis jurium in personam & negotiorum gestione distinguitur. Bona fides est qualitas utriusque jurium generi communis, & efficit, ut absterfo vitio & delata macula figuram juris recipere possit.

§. 10.

Itaque ut in censum juris, sive in re, sive ad rem, ut vocant, referri negotium possit, requiritur bona fides; ut in censum juris in re vel justii dominii, justus quoque titulus. Nunquam igitur, quod mala fide sit, in jus abit: nunquam quod titulo caret, in jus in rem seu justum dominium, etsi bona fide fiat. Atque aded non bonæ fidei, sed tituli ea vis,



(13.)

vis, isque effectos est, ut jurium genera discer-  
nat, & jura in re à juribus ad rem legreget.

§. 11.

Licet enim bona fides æquè necessaria sit in  
justo dominio, aliove jure in rem, ac justus titulus,  
*§. 35. de rer. divis. l. 48. princ. de acquir. rer. dom. l. 28.  
princ. de Usur. & sim. nec adeo magis ab eo abesse pos-  
sit; tamen speciem illud suam & distinctionem ab  
eo solo sumit, quod generi ipsius proprium est, uti  
est justus titulus vel causa: §. 4. de action. non  
ab eo, quod & alteri generi commune est, scilicet  
bona fides. Neque enim distingui possunt eâ re, quâ  
conveniunt.*

§. 12.

Quibus ita demonstratis, manifestum est, in  
propositâ quæstione nostrâ, si non cum domino,  
sed inter plures non Dominos, lis sit de re aliena,  
quæ vel à pluribus alio tempore possessa, vel pluri-  
bus tradita, vel promissa fuerat, eum præferri de-  
bere, qui rem justo titulo & bona fide accepit; isq;  
eam obtinebit Publiciana in rem actione adversus  
omnes possessores, qui vel sine titulo, vel sine bona  
fide possident. *d. §. 4. l. 1. & tot. tit. de Public. in rem  
act.* Ille ergo hætenus pro domino habetur, ju-  
stumque ejus dominium est, non civili tantum ra-  
tione, sed & naturali æquitate.

§. 13.

Etenim istius proxima & potissima post domi-  
num (cum quo non agitur) & justa causa est; quæ  
nec vitio ullo laborat: nam & usus est ille modo ad-  
quirendi legitimo & legibus probato, & nescivit,  
alte-



(14.)

alterum dominum non esse, nec id scire tenebatur in facto alieno, cujus non tantum probabilis est ignorantia, sed & inquisitio nimis scrupulosa, & potius delatoria quædam curiositas, *l. 6. l. 3. pr. ff. de jur. & facti ignorantia*, vix ab injuria vacua: videtur enim ipsi dicam impingere, quasi alienare velit rem alienam, quod prædonium morem præ se fert. Denique nec excipere possessor conventus potest, alterum dominum non esse: id enim jus tertii est, quod ipsi prodesse non potest, nec exceptio nisi ex suo jure competere.

§. 14.

Ita dominium hoc ab omni parte justum est, etiam in re aliena, & non obstante jure domini: id enim ei integrum adhuc est, nullumque domino præjudicium hæc res affert, quia cum eo, & de ejus jure non agitur. Quod si enim veri domini jus in contentionem veniat, obmutescere oportet ficta reliquorum dominia, & solum veri Domini justum dominium intelligitur, ipsique tantum adversus omnes exceptio vel replicatio justii domini datur. *l. pen. & l. fin. ff. de Publico in rem act.*

§. 15

Inter reliquos igitur si domino cessante, contenditur, planum jam est, ejus justum dominium esse, qui justo titulo & bona fide rem accepit à non domino, ipsique in rem actio comparata est, quæ experiri potest, non adversus dominum, sed adversus omnes, qui vel justo titulo, vel bona fide carent, & quorum proinde justa dominia neutiquam esse possunt, cum nec sine bona fide justum intelligi possit, quæ ex superioribus satis dispalescunt.

§. 16.

(15.)

§. 16.

572.

Sed major difficultas est, cum plures non domini pariter justo titulo & bona fide suffulti confligunt, atque adeo plura justa dominia concurrunt: neque enim plures domini ejusdem rei in solidum esse possunt. Planè igitur hic quoque necessarium est spectari, cujus eorum jus potius, & causa melior sit. Neque vero unquam non detegetur aliqua disparitas. Nam &, si omnia paria sint, differentia saltem temporis erit, & possessionis: cum nec simul duobus tradita intelligatur, *l. 9. §. 4. voc. seorsim. ff. de Public. in rem act.* quia inde communio inferretur; nec duo simul eandem rem in solidum possidere quoque possint. Quamnam ergo potior causa?

§. 17.

Res ita legibus decisa est, ut potior sit, cui priori res tradita est. *l. 31. §. fin. ff. de Act. emt. d. l. 9. §. 4.* Quia ille semel justum dominium, justo quippe titulo & bona fide nactus, est, quod alio facto eripi ipsi nequit. Nec ambigitur, si uterque contra tertium possessorem experimur. v.g. Tu comparasti rem alienam à non domino, justo titulo & bona fide, deinde ego pariter; neuter nostrum rem possidet, sed Cajus: uterque adversus eum, ut possessorem agimus. Tu potior & justus dominus es, cui priori tradita, idque indistincte. *d. l. 31.*

§. 18.

Verùm plus dubitationis habet, si ipsi inter nos experimur, uti si alter nostrum rem possidet, non tertius: adhuc prædicta ratio tuetur eum, cui priori res tradita, justumque adeo  
semel

(16.)

semel dominium quæsitum fuit. Idque perpetuum est, si ab eodem non domino seorsim comparavimus; unde si Tu accepisti à Primo, deinde Ego ab eodem; Tu potior, etsi Ego possideo; justo dominio antè tibi quæsito. *d. l. 9. §. 4. d. l. 31. §. fin.* At, si ab alio & alio non domino accepimus; Tu à Primo, Ego à secundo, Ego præferor, si possideo, etsi posterior accepi; & melior est causa possidentis; qui unicus casus *in d. l. 9. §. 4. à generali regula d. l. 31. §. fin.* exceptus est, atque adeo illæ leges non pugnant, sed ratio exceptionis expedienda est.

§. 19.

Etenim obstare quàm maxime videtur memorata illa certi juris ratio, quòd hoc casu, perinde ac superiore, justum dominium tibi ex priore traditione, justoq; titulo & bona fide semel quæsitum fuerit, quod adeo alterius facto adimi tibi atque in alium transferri non possit, ex regula *l. 11. ff. de Reg. jur.*

§. 20.

Verùm & huic discrimini sua constat ratio necessaria. Non enim, ut re à vero domino tradita, omne jus, quod in re esse & concipi potest, abit in accipientem; ita & si accepta sit à non domino. Quin hoc casu nihil dominii transit, quod univèrsum veri domini est, neque de eo agitur; sed id unice, ut dictum, quæritur, cum plures rem alienam justo titulo & bona fide ab eodem vel diversis non dominis compararunt cujus eorum, etsi nemo dominus sit, causa tamen potior videatur, ut interim pro justo domino adversus alterum haberi possit? Quod si igitur accepimus ab alio atque alio, Tu à Primo, Ego à se.

(17.)

à secundo, constat, totâ causâ nos pares, & suum cuique autorem proprium esse, à quo justo titulo ac bonâ fide, quæ sunt adæquatæ justî dominii causæ, rem comparavimus: neque esse differentiam nisi temporis, si neuter nostrum possidet; vel etiam possessionis, si alteruter. Consequens igitur est, priore casu, cæteris omnibus paribus, potiore causâ esse, qui tempore; cum aliter non differant; altero autem gemina disparitas occurrere potest, temporis & possessionis, adeoque dubitari, cujus causa potior censenda, si fortè possideat qui posterior acceperit: utrum ejus, cui priori tradita, etsi non possideat; an ejus, qui possidet, etsi posterior acceperit? Et major omnino in jure vis, majusque momentum est possessionis, quam temporis, cæteris omnibus paribus.

§. 21.

Secus planè est, si ab eodem uterque acceperimus: tum enim in ipso quoque facto, ipsaque causâ dissimilitudo est: non enim convenit rationi, ut, qui justum in Te dominium traditione suâ transtulit, contrario facto illud tibi auferat, mihi que cedat, eoque contra proprium factum veniat. Non potest igitur factum posterius ejusdem hominis æquiparari, nedum præferri, priori, ad effectum privandi & intervertendi juris, quod ipsemet antea in te transtulit. At si ab alio & alio id factum, utriusque facta pari plane potestate sunt, nec discrimen est, nisi in tempore aut possessione, ut dictum.

§. 22.

Tam sollicitè & excogitatè Autores juris Romani, & hîc & in modis acquirendi ex jure gentium,  
C  
aliis.

(18.)

aliisque juris articulis, non tantum jurium causas ac titulos distinxere, sed & gradus compararunt, ut apparet, quod jus, quae causa ex comparatione potior esset. Nisi enim omnes circumstantias, etiam in minimis, circumspexissent & definitissent, jus incertum, vagum & mutilum, saltem in plerisque & disciplinam juris non imperfectam, sed nullam reliquissent. Et haec haecenus de natura & forma justii dominii ex titulo & bona fide conflata. Sequitur, quale sit, cum alterutrum deficit.

### SECTIO III.

De

## Effectibus variis justii dominii seu tituli.

#### SUMMARIA.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. <b>D</b>E aliis effectibus justii tituli.</p> <p>2. <i>Inde dari Publicianam, remiss.</i></p> <p>3. <i>Inde esse jus ex re aliena fructus omnes acquirendi, jure quodam domini.</i></p> <p>4. <i>Refelluntur qui id restringunt ad industriales.</i></p> <p>5. <i>Explicatur §. 35. de Rer. div.</i></p> | <p>6. <i>Et respondetur ad ejus rationem, pro cura &amp; cultura.</i></p> <p>7. <i>Et ad alios textus objectos.</i></p> <p>8. <i>Alium justii tituli effectum occurrere in causa damni infecti.</i></p> <p>9. <i>Omnia justii dominii jura intelligi salvo omni jure veri dominii.</i></p> |
|--|--|

10. Ve.



(19.)

- |  |   |
|--|---|
| <p>10. Vero domino vindicanti nihil quicquam dominii detrahi. Et cur consumptos fructus possessor non repetat, etsi locupletior factus sit.</p> <p>11. Respondetur ad regulam, neminem cum alterius iactura locupletandum.</p> <p>12. Et ad l. 28. pr. ff. de Usur. quæ putant nec extantes domino restitui.</p> <p>13. Hos effectus non solum obtinere in vero, sed in omni iusto dominio.</p> <p>14. Iusti tituli effectum denique esse usucapionem.</p> | <p>15. Bonam fidem nec dici nec intelligi posse, nisi de facto hominis.</p> <p>16. Hinc infertur I. in usucapione eam non requiri, nisi initio quæsitæ aut recuperatæ possessionis.</p> <p>17. II. Contrà in Publiciana etiam tempore motæ actionis.</p> <p>18. Refutatur Dn. Lauterb. qui rem hanc plane invertit.</p> <p>19. III. In fructibus, omni tempore perceptionis.</p> <p>20. IV. Quid in causa damni infecti obtineat, explicatur.</p> |
|--|---|

§. 1.

Quemadmodum iustus titulus parit in primis aliquam iusti dominii speciem in realia, ita ex hoc deinde ultro fluunt insignes juris effectus: quorum præcipuos, cum omnia evolvere huius loci non sit, quasi per indicem saltem indicabimus.

§. 2.

Præcipuum est, quod bonæ fidei possessori, qui iusto titulo rem alienam accepit, concessa sit actio in rem, Publiciana scilicet, quæ est quædam rei vindicatio Prætoriana; cuius & vim habet, naturamque sequitur, cæteris paribus. l. 7. §. 8. ff. de Public. in rem act. Sed de ea quæ hoc pertinent, jam acta sunt Sect. II. & partim agetur de iis infra suis locis.

C 2

§. 3.

272  
(20.)

§. 3.

Proximum est, quod idem possessor omnes ex re aliena fructus indistinctè, ut dominus & jure domini acquirat, atque ea re differat a fructuario, colono, commodatario, & aliis: qui quidem & ipsi omnes fructus percipiunt, sed alio longè, quam domini jure seu titulo.

§. 4.

Et vel hinc patet, quàm absurda sit sententia eorum, qui industriales tantùm fructus ei tribuunt; naturales negant. Enimvero pro domino ille est, cujus omnes sunt fructus: & cum in fructuario non distingvant, sed omnes indistinctè fructus ei concedant, minus de justo dominio dubitandum, cujus jus plenius est ac fortius. Et cujus aliàs essent, cum verus dominus ignoretur? Sed & decisum id est, in l. 48. pr. ff. de acquir. rer. dom. tantà evidentia, ut quicquid reponant, calumnia magis quàm responsio sit.

§. 5.

Pulcherrimè quoque idem expressit Imp. in §. 35. de Rer. div. ubi hanc acquisitionem fructuum ex re aliena, justæ causæ seu titulo vindicat, & inter modos juris gentium refert. Unde & congruam juri gentium rationem affert, *pro cultura & cura*. Cum enim domino rem suam interim negligente, fructus vel perituri, vel ad deteriores, quin prædonis manus perventuri essent, una illa est & omnium summa æquitas, ut ejus intelligantur esse fructus, qui totius fundi curam habet, eumque justo titulo & bona fide possidet: neq; quisquam hominum est, cui interim fructus justius secundum dominum,  
(qui



( 21. )

(qui eorum detrimentum suæ negligentia expen-  
sum referre debet) conveniunt. Non igitur suffi-  
cit cura & cultura, nisi is, qui coluit, seu curam  
egit, fundum quoque bona fide & iusto titulo posse-  
derit: quæ ipsammet iusti domini speciem absol-  
vunt.

§. 6.

Unde nimis putida est illorum hallucinatio, qui  
hunc textum ad industriales fructus ideo restringunt,  
quod debiti intelligantur *pro curâ & culturâ*. Nam  
& pro cultura aliud quoque deberi, & omnes fru-  
ctus concedi possunt. Nec de cura fructuum, sed  
totius fundi loquitur. Quin & naturalium fructuum  
sua cura est. Neque verò debentur illi tanquam  
merces pro operâ, & quasi operario, qui fundum alteri  
colit; sed tanquam jus proprium legitimi possesso-  
ris, qui sibi & suo nomine ex iusta causa colit. *l. 13.*  
*princ. & §. 1. ff. de damn. inf.* Non ergo fructus ideo  
adquirunt, quia fundum coluit; sed quia ex tali iusta  
causa, ac suo jure coluit. *§. 35. atq; adeo ut iustus domi-  
nus. d. l. 48. princ.*

§. 7.

Par inscitia vel oscitantia est, cum ajunt, eum,  
qui bona fide & iusto titulo servum alienum possidet,  
non acquirere nisi ex operis servi & re suâ. *l. 10.*  
*§. 4. l. 19. princ. l. 40. infim. ff. de acquir. Rerum dom.,*  
quos industriales esse fructus volunt. Verum & id  
falsum est: *arg. l. 45. princ. ff. de acquir. rer. dom. junct. l. 21.*  
*ff. de Usufr.* nec alii sunt fructus servi quam ex his  
duabus causis: nec alios inde percipit fructuarius,  
qui indubiè omnes percipit. *§. 4. per quas pers. c. acquir.*  
*d. l. 10. §. 3. & 4.* Adeo vel hinc constat, ad bonæ fidei

C 3

pos-

(22.)

possessorem cum titulo omnes fructus pertinere, & adversarios hinc suo se jugulare gladio. Nec ea digna videntur, quibus immoremur. *De l. 45. ff. de Ujur. quæ crucem vulgo fixit, infr. sect. ult.*

§. 8.

Occurrit *tertio* & aliud jus à justo titulo natum, in causa damni infecti: de quo cum omnes vitiosarum ædium possessores satisfacere vicino teneantur, solo domino excepto, qui saltem repromittit, *l. 7. princ. l. 9. §. f. l. 19. §. 1. l. 15. §. 25. l. 30. §. 1. ff. damn. inf. pro excepto & immuni à satisfactione etiam habetur bonæ fidei emtor: d. l. 13. princ.*, etsi ne illi quidem, quibus utile dominium tribuitur, exceptisunt. *d. l. 9. §. pen. l. 15. §. 25. h. nedum bonæ fidei possessores, qui justo titulo destituti sunt. arg. d. l. 13. princ. voc. emit. & l. 11. eodem.*

§. 9.

Hæc omnia vero justii dominii seu tituli jura non intelliguntur nisi salvo vero dominio, quod in lite non est, sed interim domino negligente quiescit, ut ostensum est *sect. 2. §. 5.* Cum primum igitur verus dominus quasi ex sopore suo expergiscitur, & rem suam vindicat, evanescent illico omnes justii dominii imagines, & domino dominium suum integrum est, contra omnes, etiam bonæ fidei possessores cum titulo: nec jam ulli alii, quàm soli domino datur exceptio justii dominii. *l. pen. l. fin. ff. de publ. in rem act.* Sed & jam ipse cavet, ipsique cavetur damni infecti.

§. 10.

Unde sponte sua sequitur, domino & rem & omnes fructus adhuc extantes restituendos esse: *l. 22.*

*C. de*

(23.)

*C. de Rei vind.* non autem consumptos, sed hos lucro cedere bonæ fidei possessoris cum titulo, etsi inde sit factus locupletior. I. §. 35. *de Rer. div.* §. 2. *in fin. de Off. Jud.* l. 4. §. 2. ff. *Fin. regund.* l. 4. §. 19. ff. *de Usucap.* Cum enim dominus nullum negotium gesserit, adeoque nullum jus agendi nisi ex dominio seu rei vindicatione habeat, certi juris est, nec vindicari speciem posse nisi extet; nec dominium rei intelligi, quod consumptione perit. Neque de culpa bonæ fidei possessoris cum titulo quæri potest; cum & suo iusti dominii jure consumserit, neque tanquam in re sua culpam prætet. Hi ergo fructus periére domino. l. 9. *C. de pign. act.* Unde non minus verè dicitur, iustum dominium, quod bonæ fidei possessores cum titulo habent, nihil detrahere vero, sed hoc suo domino integrum esse: quia fructus consumptos ille non repetit, non quod factum dominium concurrente vero potius sit; sed quia jure communi utrumque dominium jam ante concursum, rei interitu extinguitum fuit.

§. II.

Hinc otiosè in vulgus jactatur, neminem locupletiozem fieri deberi cum jactura alterius. Quia possessor, ut iustus dominus, ex re sua percepit, & dominus fructus interitu eorum amisit. Et ineptè cumulantur textus, quibus reus saltem teneri dicitur, quatenus locupletior. In illis omnibus enim agitur de casu, ubi negotium gestum est, & ex jure in personam, non ex mero jure dominii agitur.

§. 12.

Quemadmodum & è contrario frustra ex l. 28. *princ. ff. de Usur.* contenditur, nec extantes quidem

dem restitui debere, quia statim pleno jure possessoris fieri dicuntur. Plenitudo enim juris gradus habet, & duplici sensu intelligi potest. 1. pro plena potestate disponendi de re, quæ justo domino plenissimè competit; quia pro lubitu fructus illos consumere, iisque abuti potest, neque tum quicquam restituit. 2. pro potestate perpetua & irrevocabili. Jus ergo bonæ fidei possessoris perpetuum non est, sed concursu veri domini desinit; at interim plenissimum est.

## §. 13.

Non tantum autem hi justii dominii effectus & obtinent in vero domino simpliciter, contra omnes; sed & in omni justo domino comparatè, & contra eos, qui infirmius jus habent: adeoque respectu ejus, cujus jus potius est, justii domini non sunt. Unde adversus illum h. f. possessorem, cujus jus potius est, non magis quam adversus ipsum dominum Publiciana vel exceptio justii domini datur. Sed & iisdem finibus jus fructuum circumscribitur, iisdemque gradibus, quibus justum dominium & Publiciana, discernitur: ut, si ab eodem non domino acceperint, posterior consumptos quidem interim fructus, qui in Publicianam non magis, quam in rei vindicationem veniunt, lucretur: priori verò, ut rem, si extet, ita & fructus, qui extant; si autem ab alio & alio non domino, nihil restituat. *supr.* SECT. II §. 19. Et pariter in causa damni infecti ille solus inter bonæ fidei emtores à satisfactione liberabitur, cujus jus potius, & qui aded justus dominus est. Atque ita, quæ ratio dominum adversus bonæ fidei possessores, eadem inter hos eum, qui potior est, contra sequio-

rem

(25.)

rem tuetur, omniaque hæc jura pariter moderatur.

§. 14.

Quodsi dominus rei suæ intra statutum jure tempus planè obliviscitur, nec interea à socordia suâ respiscit, tandem usucapione justum illud dominium bonæ fidei possessoris cum titulo in verum tempore duratur, dominumque à rei suæ dominio excludit. Quod vulgo constat.

§. 15.

Cæterùm, etsi hæc omnia justii domini jura titulus sustineat & fundet, à nullo tamen bona fides abesse posse, demonstratum jam est SECT. II. In quo magna quidem varietas est; quæ tamen & ipsa ab uno capite fluit, atque ab eadem animâ spirat, & omnibus calculis plenissime conspirat. Scilicet, norma omnium est, quod bona & mala fides sit qualitas actionum humanarum; neque dici vel intelligi possit nisi de facto hominis; neque aliud quæri, quam an homo bona vel mala fide quid fecerit? Unde perpetua hæc regula est, à naturali ratione profecta: *Bonam fidem requiri in iis, quæ facto hominis sunt*: adeoque sufficere, si quod in ipsius facto consistit bona fide actum fuerit.

§. 16.

Hinc, (ut summa saltem capita indigitemus)  
I. In usucapione sufficit initio bona fide negotium gestum fuisse, quod solum in facto hominis consistit, & titulum efficit. Quod enim deinde ex lapsu temporis & continuata possessione sine ullo novo facto dominium acquiritur, à sola potestate legis est. Vid. utraque *Disp. Dn. Præf. de fin. bon. fid. in præscr.*

D



(26.)

*scr.* Unde si amissa fuerit, & deinde recuperata possessio sit, à secundæ quoque possessionis initio bona fides abesse non debet; quia id novum hominis factum est. *l. 15. §. pen. ff. de Usucap.*

§. 17.

II. In Publiciana præterea requiritur, ut, qui eâ acturus est, eo quoque tempore, quo agit, in bona fide sit. *l. 7. §. fin. junct. §. pen. ff. de Publ. in rem act.* Quid enim magis consistit in facto hominis; & quid magis remotum esse debet à mala fide, quam publica juris sui persecutio in judicio? cum & ex mala fide nemini actio detur *supr. SECT. I. §. 2.*

§. 18.

Unde non possumus satis mirari, quid in mentem venerit summo Jcto, DN. LAUTERB. *in compend. pag. 119.* ubi omnia pervertit, & cum jure civili quoque superveniens mala fides Publicianam excludat; *d. l. 7. §. fin.* usucapionem verò demùm jus Canonicum; ille è contrariò Publicianam jure Can. quoque mala fide intentari posse autumat, quæ ne jure civili quidem potest; & contrâ, jure Can. in usucapione, non in Publiciana, bonam fidem semper requiri, quæ jure quoque civili minùs in illa, quam in hac requiritur, ut ex dictis patet. Nec minùs perversè ait, Publicianam favorabiliorem esse usucapione; cum contra usucapio favorabilior habeatur *in l. 2. §. 16. ff. Pro emt.* & talis quoque omnino sit, propter utilitatem publicam, de qua *in l. 1. ff. de usucap.* unde & ejus faciliùs implendæ causâ Publiciana introducta est.

§. 19.

III. In jure percipiendi fructus ex re aliena jure

(27.)

jure civili quoque semper requiritur bona fides; quia omnis perceptio fructuum in facto hominis consistit, uti eleganter deciditur *in l. 48. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* nec quisquam mala fide agens jus adquirat. d. SECT. I. §. 2.

§. 20.

IV. In causa damni infecti duplex quæstio occurrit: nam & b. f. emtor, si ædes vitiosas possidet, cavet vicino, *l. 13. pr. ff. damn. inf.* & ei cavetur si vicinus habeat. *d. l. 13. §. 2.* Quod cavere debeat, onus est, à quo proinde mala fides superveniens non liberat, neque à vitio meliorem conditionem suam facit, ne cavere teneatur, quin tum non minus, sed magis ex vitio tenebitur. Verùm is cautionem exigere non potest, si jam in mala fide sit: *d. l. 13. §. 2.* quia id jus actio & beneficium est, quæ nemini indulgentur ex sua mala fide. *supr. SECT. I. §. 2.* Etenim in utroque textu tantum quæritur de initio, an bona fide emerit, & de eo deciditur *in d. l. 13. pr.* indistinctè, quod saltem repromittere debeat, ex memorata jam causa: *in d. §. 2.* autem, quod ei caveri non debeat. Quod ultimum de casu tantum intelligi, quo jam alius apparuit dominus, inde patet, quia hæc ipsa causa est, cur ei denegetur cautio, quod non ipse, sed alius sit dominus, cui cautio præstanda, & qui, cautione non secuta, in possessionem rei vitiosæ mittendus, ac pro domino ejus habendus esset. Si verò alius planè nesciretur dominus, uti nescitur, si adhuc in bona fide est, non potuit ipsi opponi, & ideo cautio denegari, quod dominus non sit; quod stante bona fide asseri non potuit. Sed

D 2

hæc

hæc obiter. Unde apparet, quam mirificè jura Romana in summa quoque varietate sibi exactissime suffragentur.

## SECTIO IV.

De

### Potestate tituli pro suo & pro herede.

#### SUMMARIA.

- |  |  |
|--|--|
| <p><b>C</b>ontinuario.</p> <p>1. Omnem justum titulum esse pro suo: hunc vero vel specialem vel generalem.</p> <p>2. Quæ sit vis tituli generalis pro suo.</p> <p>3. Si concurrat cum speciali, nihil interest.</p> <p>4. Si non concurrat, non esse titulum, sed tituli opinionem.</p> <p>5. Nec sufficere ad effectus justî dominii, etsi bona fides adsit.</p> <p>6. Inde iterum infertur, omne justum dominium à ti-</p> | <p>tulo esse: &amp; ratio editur, cur opinio tituli ei noceat, opinio dominii non noceat.</p> <p>7. Id plenius declaratur.</p> <p>8. Et inde unâ exceptiones derivantur, quibus titulus pro suo generalis sufficit.</p> <p>9. Exponuntur alii casus excepti.</p> <p>10. Eos, qui justo titulo &amp; bonâ fide rem acceperunt, semper præferri iis, qui non nisi pro suo tenent, etsi bona fide.</p> <p>11. Etiam in casibus exceptis, quibus titulus pro suo admittitur.</p> |
|--|--|

13. In



(29.)

- 13. In his casibus exceptis eos, qui pro suo possident, inter se quidem eo ordine, quo & reliqui inter se intelligi, sed hos illis indistinctè præferri.
- 14. Quod probatur.
- 15. Et firmatur eo, quòd titulo pro suo quandoque singulari jure tribuatur vis tituli specialis.
- 16. Hinc conciliari pugnam inter l. 7. §. 2. ff. de Publ. in rem & l. 2. §. 16. Pro emt. rejecta sententia Dn. Lauterb.
- 17. Proponitur species utriusque textus.
- 18. Eum, qui à furioso ignorans emit, adquirere omnes effectus justì dominii pro suo.
- 19. Usucapere verò posse etiam pro emtore, jure singulari.
- 20. Ita planè convenire utrumque textum.
- 21. Quid intersit hoc casu, ratione tituli in usucapione.
- 22. Quid in Publiciana.
- 23. Quid ratione evictionis.
- 24. Quid ratione accessionis.
- 25. Hos duos effectus semper cessare in titulo pro suo.
- 26. Quid si plures concurrant qui pro suo possederunt?
- 27. Titulo pro suo affinem esse titulum pro herede.
- 28. Et similem ei titulo pro suo, qui vim tituli habet.
- 29. Quid invicem differant.

§. 1.

Quæ hætenus expositæ sunt causæ dominii translativæ, seu justì tituli, sunt causæ & tituli speciales, & cujusque negotii naturam ac formam specificè exprimunt: quas tamen jam ad duo capita generalia ex negotiorum discrimine retulimus, quòd quædam pluriù consenti, quædam unius factò & voluntate consent. SECT. I §. 8. & cujusque fontem indicavimus SECT. I §. 11.

§. 2.

Verùm his omnibus commune est, quòd ex quo-



(30.)

quocunque tali titulo quisque *pro suo*, seu ut dominus, possideat: cum ipso verbo *sui* nihil aliud quam cuiusque dominium vel jus proprium intelligatur; ut verbis: *suum cuique iribuere. princ. & §. pen. de just. & jur. l. 10. princ. & §. 1. ff. eod. tit.* Hic ergo communis omnium & generalissimus titulus est, PRO SUO, id est pro domino; qui proinde cum omnibus reliquis titulis specialibus utriusque generis concurrit, & omnibus, ut cuique speciei suum genus, inseparabiliter inest. *arg. l. 147. ff. de Reg. Jur.* Unde qui speciali titulo pro soluto, pro emtore, pro donato, ex alluvione, occupatione &c idem pro suo possidet: quæ luculenter exposita sunt *in l. 1. l. 2. ff. pro suo.* Neque quicquam id aliud est, quam quoddam ex omnibus his titulis, quippe qui dominii translativi sunt, pro domino, seu ut domini possident: Tuum enim est, cujus tu dominus es; & inter se collidunt, Te dominum esse, & Tuum non esse.

§. 3.

Neque ulla hic difficultas est, cum inter dominos res agitur. Verum quaestio est de causa SECT. II. §. 5. cum dominus rerum suarum non satagit, sed vel in eas inquirendi ignavia, vel earum oblivione fit, ut apud alios illæ possessores morentur, & commercia subeant, indeque lis inter hos rei alienæ possessores oberiatur, quæ tum sit potestas tituli pro suo?

§. 4.

Enimverò si titulus specialis concurrat, uti si possessor ab alio non domino emit, eadem planè utriusque est vis ac potestas, & iidem prorsus effectus, eademque jura sunt; quia titulo verò domini  
nii

(31.)

nii translatiuò, emtionis scilicet suffultus ac munitus, est, cum quo generalis pro suo concurret, & ille huic inest, quia suum ex emto est: *supr. §. 2.* quod proinde & ipsum extra litis aleam positum: Cæterum in eo difficultas est, quando nullus titulus singularis concurret; an tum generalis pro suo sufficiat? Quale est, cum quis emtum sibi putat, quod emtum non est; fortè quod absente se emtum existimet rem quam reuersus domi suæ inuenit: ut in *l. 11. ff. pro emt. l. ult. in fin. ff. Pro suo.* vel cum quis verè emit, sed emtio ipso jure nulla est, ut si quis à furioso ignorans emit. *l. 2. §. 16. ff. Pro emt. &c.*

§. 5.

Hic ergò omnino dicendum, titulum generalem pro suo non sufficere: Nam non est ille, si solus sit, titulus domini translatus; sed mera tituli opinio: adeoque destituitur basi illa & fulcro iusti domini, quo illud sustinetur, & sine iusto titulo intelligi non potest. **SECT. I.** Etenim, etsi quis domum redux, rem apud se inventam pro suo possideat, putans eam interim emtam fuisse, potuit tamen saltem esse commodata, deposita &c. qui non sunt iusti tituli; neque adeò ex opinione tituli titulus sequitur: non enim opinio nostra rem & veritatem mutat: *l. 6. §. 1. ff. de Off. Praef. l. 6. pr. ff. ad Munic. neque juris substantiam. l. 37. ff. de Aur. arg. leg.* Et aliud est esse, aliud opinari.

§. 6.

Unde constanter jure proditum est, non sufficere nudum titulum pro suo, seu errorem falsæ causæ, cum quis, quod non emit, emisse se existimat, & inde pro suo possidet: *§. 10. de Usucap.* vel cum qua-



(32.)

quasi ex donatione pro suo possidet, quod donatum non est. *l. 1. princ. ff. Pro don. d. §. 10.* meritoque legibus rejecta penitus est illa sententia, quod quilibet, qui bona fide possessionem adeptus esset, putans se emisse cum non emerit, pro suo usucapere possit. *l. 17. ff. de Usucap.*

§. 7.

Ex quibus perspicuè intelligitur, quàm omnis, ut veri, ita ficti dominii commutatio à justo titulo pendeat. Atque hinc fit, ut opinio tituli, seu causa quæ falsa est, excludat justum dominium; *d. §. 10.* opinio dominii quod deficit, non excludat: seu, ut is, qui emit ab eo, quem bonâ fide putat esse dominum cum non sit, possit usucapere, & interim ut justus dominus Publicianâ agere: is verò, qui bona fide putat ab eo emisse cum non emerit, non posse. *d. l. 27.*

§. 8.

Causa hujus rei patet ex iis, quæ SECT. II. §. 12. tradita sunt. Etenim dominii error non obstat bonæ fidei emtori, nec justum ejus dominium impedit; tum quia leges non cavent aut indulgent desidia domini, adeò ad curam rerum suarum obtorpescantis: ejusq; proinde ratio interim non habetur: tum quia ipsi jus suum omne salvum est, ex quo è torpore suo emerit, & rem suam persequi cœpit. Præterea probabilis est illa ignorantia bonæ fidei emtoris in facto alieno, & maximè ratione dominii, cujus tam difficilis & pœne impossibilis probatio est; quin nimis curiosa & ferè delatoria videri possit illa inquisitio. *arg. l. 6. ff. de jur. et fact. ignor.* At ex adverso ignorantia ejus, qui putat se emisse cum non

( 33. )

non emerit, crassa nimis & improbabilis est in facto proprio. Nec utiq; audiendus est, qui ex mera imaginatione falsa sine ulla causa jus quod nullum est, nedū justum dominium, sibi adferere haud dubitat, maxime contra alios bonæ fidei possessores cum titulo.

§. 9.

Caterum hæc ipsa ratio, quæ à nuda opinione falsa pro suo justum dominium removet, unâ exceptiones quoque ostendit, quibus id suo modo propter ignorantia probabilem causam admittitur. Quale exemplum est *in l. ult. §. fin. ff. pro suo.* ubi dominus peregrè iturus mandat servo suo emere; & cum redux eam apud se inveniret, credidit emtam, & pro suo possedit, putans servum emisse. Hæc satis equidem probabilis est credendi & opinandi causa: cum enim abiturus mandasset rem emere, & reversus actu eam in bonis reperisset, vix aliter existimare potuit, quàm eam ex mandato suo ita comparatam fuisse: nam & maxime probabilis ignorantia fuit facti, cum alieni, tum se absente gesti; quæ & addita est ratio *in d. §. fin.*

§. 10.

Similis causa est, cum non est nuda opinio pro suo; sed præterea res ab alio, quasi ex justa causa, quam partes putarunt præcessisse, tradita est, adeoq; ipse actus traditionis accessit tanquam ex præcedente causa. Uti, cum quis non tantum putat se emisse, sed & alter ipsi rem quasi emtam, seu tanquam ex causa emti, tradidit, valet titulus etsi emtio non præcesserit; & ufucapi potest *pro suo. l. 3. ff. pro suo.* Idem est, si quis non tantum sibi legatum putat, sed & heres ei quasi ex causa legati tradit: nam valet pro suo, etsi non

E

pro

(34.)

pro legato. l. 4. §. fin. ff. eod. tit. Et multò magis in causa d. l. 4. §. p. cum pater cum filiis bona, quæ habuit, divisit, eoque mortuo filii id ratum esse volunt, atque ex hac divisione & conventionem pro suo possident, ratum est titulus pro suo. Item si sponsa de futuro rem alienam bona fide in dotem dederit, ante nuptias quoque usucapit pro suo, etsi non pro dote. l. 1. §. 2. in fin. ff. Pro dote. & ita porro de aliis.

§. II.

Ex eo igitur, quod §. 1. & seqq. vidimus, non haberi pro justo domino eum, qui pro suo & opinione domini possidet, nisi & titulo tectus sit cui opinio innitatur, porro rectè infertur, reliquos bonæ fidei possessores cum titulo in causa justî domini potiores esse illis, qui sine justo titulo possident, etsi pro suo & bona fide: quia hi destituti sunt ipsa justî domini causa, adeoque ipsam intentionis suæ fundamentum iis deficit: quod facile intelligitur ex iis, quæ tradita sunt hæctenus. Hi ergo, qui bona fide possessionem rei alienæ, sed sine titulo, nacti sunt & pro suo possident, nec conventi exceptione justî domini alios repellere possunt, nedum amissâ possessione Publicianâ alios convenire, nec ullum justî domini effectum exercere. d. l. 27. ff. de usucap.

§. 12.

Verùm, cum & ostensum sit *supr.* §. 9. & 10. esse casus jure exceptos, quibus titulus generalis pro suo quoque justî tituli vim objustas opinandi causas obtinet; certum quidem est, eam tum parere effectum justî domini, Publicianam & usucapionem: quia pro titulo est, per ea, quæ tradita sunt d. §. 9. & 10. sed  
tunc

(35.)

tunc quæri notabiliter potest, an & pari cum titulis specialibus potestate sint; ita ut, si concurrant qui eam valido titulo generali pro suo bona fide sortiti sunt, idem in his obtineat, quod de illis, si inter se concurrant, ostensum est *Señ. 2. §. 16. seq.* idemque adeo promiscuè his ac illis agendi ordo, eademque vis ac norma sit? Quo fieret, ut illi quoque, qui non nisi titulo generali pro suo se tuentur, & agere adversus cæteros Publicianâ, & agentes exceptione justi dominii repellere possent, quoties & cæteri, inter se si contenderent, juxta gradus & leges *d. §.* invicem potiores intelligerentur, atque ita, ut dictum agere & excipere inter se possent.

§. 13.

Id verò non videtur, & contrarium ex jam dictis apparet: quibus consequens est, si plures, qui titulo pro suo, sed valido, concurrunt, inter se quidem eodem ordine cenferi, quò & reliqui inter se: *de quo inf. §. 26.* sed, si utriusque classis possessores concurrunt, omnes, qui speciali titulo muniti sunt, præferri simpliciter omnibus, qui solò titulò generali pro suo nituntur, etiam in casibus, quibus ille vicem tituli obtinet.

§. 14.

Etenim verum manet, quod illi justum titulum habeant, hi non habeant, sed habere existiment. Cum igitur omne momentum & nervus justi dominii à titulo, atque in eo vis ejus posita sit, per *Señ. 1.* potior erit causa eorum, qui veri tituli præsidio septi, quam qui imaginariò qualitercunque defensi sunt. Sanè enim, comparatione eorum habita, fictio cedit veritati;

E 2

tati;

(36.)

tati; umbra & imago corpori; non contra: & plus omnino erit munimenti in re, quam in opinione; in ipso titulo, quam in ejus adumbratione. Itaq; omnibus pensatis in quæstione, cujus causa potior sit, facile conveniet, titulum generalem pro suo indistincte cedere justis titulis specialibus, & potiozem esse specialem ac verum titulum, qui justum dominium constituit, quam generalem & fictum pro suo, qui imitatur. Denique cum titulus pro suo per se titulus justus non sit, sed opinio tituli; quæ in casibus exceptis tantum instar tituli sustinetur, inde quidem sequitur, non amplius deficere tum titulum; non etiam, eum reliquis quoque, cum inter se contendunt, parem aut potiozem esse.

§. 15.

Id apprime quoque ex eo confirmatur, quia in quibusdam casibus, ultra id, quod possessio pro suo in casibus exceptis pro titulo habetur, utilitatis causa specialiter præterea receptum sit, ut vim specialis quoque tituli induat: ut §. 10. *supr.* vidimus; certissimo argumento, eam in cæteris vim non habere, etsi vim tituli habeat. *arg. l. 1. vers. HUIUS REI. ff. de Off. ej. cui mand.* Neque vero esset utilitas tituli specialis, aut ejus contra rationem juris recipiendi causa, si eandem vim haberet titulus generalis pro suo

§. 16.

Hinc vero jam solide pacabitur ingens ille conflictus inter *l. 7. §. 2. ff. de Publ. in rem act.* & inter *l. 2. §. 16. ff. pro emt.* in casu, quo à furioso quis emit: ubi in altero loco asseritur Publicianam dari, idque inde



(37.)

de inferitur, quia usucapio obtinet; in altero contra negatur Publicianam dari, idque inde inferitur, quia eo casu usucapio singulariter recepta est. Quod equidem certamen nequaquam hactenus conciliari potuit. Nam quod DN. LAUTERB. in comp. pag. 119. affert, dari Publicianam contra tertium, d. l. 7. §. 2. non contra fariosum, d. l. 2. §. 16. eod. quod pace Viri dictum sit, nihil magis frivolum ac putidius dici potuit, aded & quaestio, & decisio, & ratio & illationes contrariae adversantur, & denique nimis frigida & insulsa ariolatio est. Ut sanè difficillima hæc videatur antinomia, quæ verò ex dictis accuratè solvitur.

§. 17.

Casus, ut dictum est, propositus est de eo, qui à furioso emit, quem putabat sanæ mentis esse, eò quod non quidem in dilucido intervallo, sed in adumbrata quiete constitutus esset. Certum est, emtionem ipso jure nullam esse, adeoque titulo speciali pro emtore rem non fuisse possessam, sed tantum pro suo. Nec dubitandū est, hoc casu vim tituli id habere, per. §. 9. supr. quia & ignorantia fuit in facto alieno, arg. l. fin. ff. Pro suo. l. 33. §. 1. vers. HOC AMPLIUS. ff. de Usucap. & opinio maximè probabilis: quis enim furorem suspicetur in homine, si non evidentibus signis appareat?

§. 18.

Primum ergo verum est quod dicitur in d. l. 7. §. 2. emtorem hunc posse usucapere: quia pro suo possidet ex opinione probabili: idque generaliter tantum in d. §. 2. dicitur, nec tituli pro

E 3 emto-



emore fit mentio. Ex eo ergo, quod jure communi valeat usucapio, quia titulus pro suo hic valuit, recte infert Jctus; Ergo & Publicianam habebit. Ab usucapione enim, quæ jure communi rata est, valide arguimus ad publicianam, quippe quæ ei datur, qui est in conditione usucapiendi. *d. l. 7. §. fin. ff. de Publ. in rem act.* Atque ita rectissime se habet & deciso & illatio *d. l. 7. §. 2. de jure communi.*

## §. 19.

Verum præterea specialiter utilitatis causâ receptum fuit, ut hoc casu usucapio non tantum procederet titulo generali pro suo; sed & speciali pro emore, de quo textus *d. l. 2. §. 16.* agit, quod & firmatur cum *argum. rubr. ff. Pro emt.* tum ipsa ratione textus, quæ ab emtione desumitur. Igitur quod singulariter contra rationem juris communis receptum tantum fuit in usucapione, non potuit produci ad Publicianam, nec alias trahi ad consequentias. *l. 141. ff. de Reg. jur. l. 14. ff. de Legib.*

## §. 20.

Atque ita duo isti textus & sibi præclare ubiq; constant, & inter se optimè conveniunt; cum prior de usucapione juris communis, quæ, emtione valida cessante, pro suo intelligitur; alter de singulariter receptâ, pro emtore, agit: cui discrimini reliqua optimè respondent & consonant.

## §. 21.

Plurimum vero inter ea interest. Usucapio enim pro emtore jure civili simpliciter procedit, modo emtor initio bona fide emerit, & acceperit. *l. 10. princ. ff. de usucap.* Quia, ut *Seç. 3 §. ult.* ostensum, id

(39.)

id solum ipsius factum est, de quo solo quæritur, bonâ an malâ fide actum? reliquum enim usucapionis perficitur non novo hominis factô, sed solâ potestate legis, ex lapsu temporis, modò interim possessio interrupta non fuerit. *arg. l. 4. ff. de usucap.* At usucapio pro suo non procedit, si possessor postea resciverit, rem esse alienam, nec domino, cum posset, denunciaverit: *l. 3. prin. ff. Pro suo.* quia tota hæc causa consistit in opinione sui, seu domini, quæ nullo tempore stare potest cum scientia rei alienæ. Secus est in titulo, qui simul ac semel factô hominis, v. g. contractu legitimo absolvitur, adeoque sufficit, id bonâ fide actum fuisse, de quo supr. *SECT. 3. §. fin.*

§ 22.

Publiciana vero ei, qui pro suo saltem possedit, non datur, si concurrant alii, qui justo titulo acceperunt. *Supr. §. II.* Unde is, qui à furioso ignorans emit, etsi, continuatâ possessione, pro emtore singulari jure usucapiat, nec ei obstat, quod alii concurrant, qui cum titulo rem bona fide acceperint; tamen amissa possessione Publiciana ei non dabitur adversus reliquos, qui justo titulo rem adepti sunt. *d. l. 2. §. 16.* At, si horum nulli concurrant, contra alios possessores cæteris paribus dabitur. *d. l. 7. §. 2.*

§. 23.

Sunt vero & aliæ differentiæ, quæ hinc oriuntur, & notantur *in d. l. 2. §. 16.* Etsi enim qui inscius à furioso emit, pro emtore usucapere possit, tamen, re interim evictâ, agere ex evictione contra venditorem non potest: quia ad id agere non potest nisi actione ex emto; emtio autem, cum jure nulla sit,  
nulla

(40.)

nulla inde emti actio esse potest; & quod usucapio quasi pro emtore teneat, singulariter saltem receptum est, nec aded ad alios effectus extenditur.

§. 24.

Qua ratione rectè quoque *in d. l. 2. §. 16.* negarum est, talem emtorem, qui à furioso, quem sanæ mentis esse putat, emit, non posse uti accessione possessionis, si venditor fortè jam multo tempore possederit: etsi enim aliàs tempora inter emtorem & venditorem conjungantur, *§. pen. de Usucap.* id tamen hic cessat, ubi nec emtor, nec venditor, & nulla emtio; quod verò usucapio teneat quasi ex emto, singulari juri tributum est. *d. l. 2. §. 16.*

§. 25.

Unde consequens est, hos duos effectus, evictionis & conjungendorum temporum, semper cessare in titulo generali pro suo, etsi illi inter se soli sint, nec alii, qui titulo suffulti sint, concurrant: quia utrumque à titulo, v. g. emtione pendet: cùm & ad evictionem ex emto agendum sit, & conjunctio possessionis inter eos fiat, qui ab invicem rem accepere: Atque hæc hætenus de difficili ista antinomia.

§. 26.

Patet ergo eis, qui pro suo possident, & usucapere possunt, etiam Publicianam dari: *d. l. 7. §. 2.* sed ab hac eos excludi, si concurrunt, qui possessionem rei bona fide nacti sunt & justo titulo. Unde quærendum adhuc est, si plures pro suo possederunt, & inter se soli concurrant, quis præferendus sit? Equidem de reliquis dictum est *supr.* SECT. 2. eum præferri regulariter, cui priori res ex justa cau-

(41.)

causa tradita est. Qualis traditio cum non fiat in titulo generali pro suo, ubi possessor non accepit rem iusto titulo, sed putavit se capere, ea hic regula applicari non potest, adeoque reliquum tantum est, ut coeteris paribus melior sit conditio possidentis. *arg. l. 9. §. 4. ff. de Publ. in rem act.*

§. 27.

Hæc tractatio tituli pro suo plurimum lucis affundit titulo pro herede; quo id saltem obiter monemus, nec illum esse iustum titulum dominii translaticivum, quia in hereditate quoque commodata, deposita, aliaque jura in personam continentur; sed generalem seu universalem, qui & ipse, ut titulus pro suo, in eo consistit, quod heres res in hereditate inventas putat fuisse defuncti; & idem ipse eas pro suo ut heres possidet. Unde id primum constat, pro herede titulum non sufficere iusto dominio, nec heredem ex eo, quod res in hereditate inventa est, usucapere, vel Publicianam idem agere posse, nisi verus titulus accesserit, uti id expressum est *in l. 1. l. ult. C. de usucap. pro her.* perinde ut de possidentibus pro suo, seu opinione domini, vidimus SECT. IV. §. 5. & seq. Atque aded pro herede quoque, uti pro suo, non titulus est, sed tituli opinio. *d. l. ult.*

§. 28.

Verum, quemadmodum in titulo pro suo iusta opinandi causa aliquando vim tituli quodammodo supplet *sect. 4. §. 9. 10.* ut cum probabilis est ignorantia in facto alieno: *l. ult. in fin. ff. Pro suo. vid. supr. §. 9. & seqq.* ita & in titulo pro herede; quia & illius ignorantia est de facto alieno, scil. defuncti. Quam ob rem, licet, qui pro herede possidet, non possideat iusto seu speciali titu-

F

titu-



(42.)

titulo, *d. l. ult.* possidet tamen pro suo, putans defuncti fuisse, & hinc suum esse, idq; opinione probabili in facto alieno; atque idem pro herede tanquam pro suo putans defuncti fuisse, & suum esse, idque opinione probabili in facto alieno; atque ideo pro herede tanquam pro suo quoque usucapere potest: quod & ipsum traditur *in l. pen. ff. Pro her.* neque aded ea pugnant. Indequē sequitur, quod & pro herede possidens Publicianā agere queat; uti qui pro suo ex probabili opinione possedit. *arg. l. 7. §. 2. ff. de Publ. in rem act.*

§. 29.

Id verò interest inter titulum pro suo & pro herede, quod hic involvat jus heredis successivum in jus defuncti; cum hereditas nihil aliud sit quam successio in universum jus defuncti; *l. 24. ff. de Verb. sign.* neque ullum jus heredis intelligi possit, nisi quod fuit defuncti. *l. 59. l. 120. de Reg. Jur.* Unde est, quod nunquam heres usucapere possit, si defunctus fuit in mala fide, iste adeoque nec usucapere potuit: quia in hæc quoque rerum male à defuncto quaestiarum vitia heres succedit. *l. 11. C. de acquir. poss.* Quorum omnium itaque non pugna, ut visum fuit, sed mirificus est concentus atque conspiratio.

## SECTIO. V.

De

Bonæ fidei possessore sine titulo, ac differentiis inter quaestionem, justi dominii & negotii gesti: *ad l. 45.*

*de Usur.*

SUM-

SUMMARIA.

- 1. *SI alterum, & quidem si bona fides desit, pugnat esse justum dominium.*
- 2. *Idemque esse, si titulus justus deficiat, etsi quis bona fide acceperit.*
- 3. *Ergo nullum ibi jus in re esse, sed referri id in classem jurium ad rem.*
- 4. *Duo esse summa quaestionum genera: An quid nostrum sit? Et, An quid nobis debitum?*
- 5. *Priore casu, cum quid soli in re nostra agimus, nec nos alii obligamur, nec nobis alii: nec ulla obligatio est, nisi ex facto, quoque alterius contingimus, aut cum alio agimus.*
- 6. *Tale factum esse synallagma, & principium omnis obligationis.*
- 7. *Quale jus sit, si quis agat in alieno, sed tanquam in suo: sive putet esse suum, sive sciat, non esse.*
- 8. *Exponitur quando quis de suo agens, dicatur tamen negotium gerere, & tota*

- quaestio sequentibus conclusionibus definitur.*
- 9. *I. Cum quis in re aliena, justo titulo & bona fide possessa, agit, nunquam negotium geri, nec inde obligationem esse.*
- 10. *Hinc ergo nec de fructibus perceptis eum teneri, nec ad impensas agere. Idemque esse in re communi, ratione sua partis.*
- 11. *Resolutio l. 14. §. 1. Comm. div.*
- 12. *Hinc nec de culpa eum teneri.*
- 13. *II. Econtrario, cum titulus ei deest, semper negotium geri, & inde obligationem esse.*
- 14. *Hinc actionem esse & ad fructus, & ad impensas, & ex culpa.*
- 15. *Inducitur l. fin. de Neg. gest.*
- 16. *Et in primis l. 45. de Ursur. cujus causa haec disputata sunt.*
- 17. *Et inde confirmatur, b f. possessorem sine titulo non per-*

- pertinere ad classsem jurum in re, sed ad rem.
- 18. III. Si quis cum alio agit semper negotium geri, etsi is bonafide & iustotitulo habeat: nec tum queri cujus res, sed cujus negotium sit? Id verò tum imprimis esse domini. d. l. fin. pr.
  - 16. Seu veri heredis. d. l. fin. in f.
  - 20. Contra, non geri, nec actionem esse, si quis non cum alio agit, sed sua causa impensas fecit, quasi
  - in re sua; l. 33. in fin. de Cond. ind.
  - 21. Vel, si aedificiam posuit in alieno solo, quod suum putat. d. l. 33. pr.
  - 22. IV. Si quis sciens alienum vel commune esse, in eo quid agit, semper negotium geri. l. 6. §. 3. Neg. gest.
  - 23. Quaestio in summam contrahitur.
  - 24. Actione tamen cessante exceptionem dari: & hinc moribus plerumque actionem.

§. I.

**C**Um duo simul ad justum dominium requiri dicitur sit, bonam fidem & justum titulum, ambigi poterat, quid statuendum, si alterum deesset? Et primùm quidem patet, si bona fides desit, nullum jus ficti dominii intelligi posse: pugnant enim, jus ex eo, quod jure improbatum est, oriri, ut pluribus jam monitum est. *Sect. 1. §. 2.* Imprimis igitur malæ fidei possessores ab omni specie justii seu ficti dominii penitus seclusi sunt: e contrario autem adversus illos omnibus, qui bonafide & iusto titulo, saltem pro suo, quoties id juxta *Sect. IV. §. 9. & seq.* loco tituli est, possederunt, etsi nec ipsi domini sint, comparata est actio; ita ut Publicianâ rem vindicantibus



(45.)

bus exceptionem justi dominii malæ fidei possessor  
opponere nequaquam possit.

§. 2.

Quodsi verò quis bona fide quidem possederit,  
sed justo titulo destitutus sit, digna inprimis tra-  
ctatu quæstio est, quale id jus, & ad quod jurium  
genus id referendum sit? Equidem ex traditis *Sect.*  
*l. §. 10.* satis jam liquet, nec tum esse ullam justî do-  
minii speciem, & ided nec ad causas seu ad clas-  
sem jurium in rem pertinere posse, quorum nul-  
lum sine justo titulo intelligi potest: ei enim, veluti  
basi & columnæ suæ, omnis justî domini, jurisque in  
rem vis ac potestas incubat, eaque aded subductâ  
corrui, ut hætenus pluribus demonstravimus.

§. 3.

Dicendum igitur, hoc casu, cùm quis sine ti-  
tulo, etsi bona fide, & pro suo ac opinione domini,  
rem possidet, transire illud in alterum jurium ge-  
nus, quod in personam, & vulgo ad rem dicitur,  
sive ad obligationes & negotii gestiones pertinet.  
Etenim, cùm duo tantùm sint summa hæc jurium  
genera, priore ob justî tituli defectum cessante, alte-  
rum succedere necesse est: Quod quale sit paucis  
videbimus.

§. 4.

Præmittimus autem, in jure duo in universum  
proponi summa quæstionum genera Vel enim quæ-  
ritur: An quid nostrum sit? Vel: An quid nobis  
debitum? Prior quæstio, ex causis jurium in rem  
deciditur; altera ad causas jurium in personam per-  
tinet: quod luculenter exponitur in *§. omnium autem  
actionum. A. de act. § l. 25. princ. ff. de oblig. & act. ubi latè  
Dd.*

In

(46.)

§. 5.

In priore specie, cum res nostra dicitur, & in ea quid agimus, quasi soli & extra societatem spectamur, & nec alium nobis obligamus, nec aliis obligamur: neq; id agimus, ut vel alium nobis, vel nos alii obligemus; sed idem juris foret, & perinde is, cujus res est, de ea agere posset, ac si nemo alius hominum in rerum natura esset. Verum, cum ille vel minimum hos fines excedit, & jus alterius quacunq; ratione attingit, aut cum altero quid agit, jam incipit quaestio. Quæ ex eo facto obligatio nascatur, ut & alteri, atq; aded utriq; jus suum saluum fiat. Hoc enim factò, quò quis ultra sui juris limites agit, & jus alterius tangit, commutatur juris cujusq; status; & ided reduci debet ad statum juris, unde recessit, ut, apud quemcunque ex hoc facto plus minusve suo sit, id restituatur.

§. 6.

Tale igitur factum, quò hujusmodi juris quædam commutatio fit, est causa & initium obligationis, quod ided Græci veteres aptissimè *συνάλλαγμα*, Romani *negotium*, dixerunt; prout præclare de ea re disputant JCTi in *l. 14. §. 1. ff. Comm. div. l. 33. ff. de Cond. ind. l. 7. §. 7. ff. de Pact. &c.* Et vix credi potest, quantum intersit, præsertim ratione impensarum, fructuum, aliarumque præstationum, quæ in utroque jurium genere maximopere differunt. *arg. l. 33. in fin. ff. de Cond. indeb. & sim.* sed ea, ut hinc aliena, nunc non excutimus.

§. 7.

Verum hinc jam exurgit disputatio insignis de

(47.)

de casu, cum quis actu ultra jus suum quidem quid agit, & jus alterius contingit, sed putans suam rem, suumve negotium esse: seu, cum de re aliena tanquam de sua, sive opinione sive animo dominii quid agat; num exinde actio sit quasi ex jure in rem, an quasi ex negotii gestione? Idque quæri potest, sive ille iustum titulum habeat, sive habere existimet, & pro suo ac bona fide rem possideat, agatve; sive sciat esse alienam, & malâ fide sibi ipsi ac animo domini gerat: prout quæri quoq; id potest, sive ipse ab altero conveniatur, sive alterum conveniat. *vid. d. l. 14. §. 1.*

§. 8.

Quæ ut certis regulis concludamus, præmittendum est, differentiam esse inter hæc duo: An quis in re sua, & tantum ut dominus rei, solus & quasi secum quid egerit? Et, An cum alio quid gesserit? Prius negotium non est, sed quæstio iusti dominii, modo titulô non careat. Posterius autem ad negotii gestiones pertinet, etsi eô comprehensus quoque sit actus, quô gestor de re, quam suam ex justo titulo esse putavit, quin cujus verè dominus fuit, aliquid statuerit: quia quæstio tamen non est, cujus ea res, sed cujus totum negotium fuerit: Quod ex sequentibus magis perspicuum fiet.

§. 9.

I. Cum quis ergo in re aliena, quam bonâ fide & iustô titulô possidet, tanquam in re sua agit, inde nemini obligatur, & neminem obligat: quia pro domino est, & ad primum caput jurium in rem pertinet. Et, licet ille revera rem alterius contingat, tamen, cum ille interim jure pro iusto domino habeatur,  
non



non alia hęc quęstio est, quàm, an res interim ipsius sit, & ideo in re sua egisse intelligatur: quę unicę pertinet ad primum genus, scilicet jurium in rem. *supr.* §. 8. Unde nihil hęc negotii gestum videtur, etsi in re aliena gestum: quia propter titulum & bonam fidem interim non habetur pro aliena, sed pro propria: nec pro negotii gestione, sed pro actu iusti domini.

§. 10.

Hinc ergo nec de fructibus perceptis alii tenetur: quia interim ut dominus è re sua percepit; *supr.* SECT. III. nec ulla jure civili ipsi datur actio ad impensas repetendas, non magis, quàm si verus dominus aliquid in rem suam impenderit: quia & ipse interim est justus dominus, *d. l. 14. §. 1. ff. Comm. div. d. l. 33. ff. de cond. indeb. Sc.* nec ullum negotium gessit, sed re sua usus est. Idemque est, si res quidem non sit tota alterius, sed cum altero communis, & possessor eam propriam putet, atque in eam, ut suam, quid impendat. *d. l. 14. §. 1.*

§. 11.

Cur igitur *in d. l. 14. §. 1.* ratio à voluntate gestoris sumitur, quod alium obligare nolit: cum tamen nec in ipsius voluntate id situm sit, an alium obligare velit, nec ipsius opinio veritatem mutet, quod sit res & negotium alterius? Resp. Id omnino ita se habet: nec in nostro arbitrio situm est, ut, quod est, non sit negotium alterius, aut ut alius nobis obligetur. Verum ideo *in d. l. 14. §. 1.* volentis fit mentio, non quasi aliter velle possit, vel quasi alterum, ut vult, obliget vel non obliget; sed quia ista voluntas suã naturã sequitur ex justo dominio. Uti enim de vero domino, qui in suam rem aliquid impen-

(49.)

pendit, rectè dicitur, quòd nolit alium obligare, sed suam rem agere; & tamen, quòd alius non obligetur, non ab ipsius voluntate est, sed à causa, quâ unicè ut dominus suam rem gessit; ita & de alio justo domino, qui bonâ fide & justo titulo possidet.

§. 12.

Ex eadem causa est, quòd talis possessor nemini, & nec domino, teneatur de culpa &c. quia rem suam negligere, & re suâ abuti credidit, & interim ut justus dominus egit; *l. 25. §. 11. l. 31. §. 3. ff. de Hered. petit. arg. l. 30. ff. eod. tit. qui ita abuti potest. l. 21. C. Mandat.* Neque contradicunt textus *in l. 19. §. pen. l. 54 §. fin. ff. de hered. pet. l. 36. §. 1. ff. de Rei vind.* Qui loquitur de eo, quod commissum est lite jam cœptâ, & cum adeò jam scientiam rei alienæ possessor haberet.

§. 13.

Concl. II. Cum quis bonâ fide, sed absque justo titulo rempossidet, & in ea quid agit, is è contrario & alium sibi, & se alii obligat: quia pro justo domino non est, *Sect. 2. §. 10.* nec adeò quasi actus domini in re sua habebitur, sed instar negotii gestionis in aliena, etsi pro suo seu opinione domini, ac bona fide possideat: quia nuda opinio titulum non facit: *§. 10. de Usucap. supr. Sect. 4. §. 6.* proindeque id ad alterum genus, jurium in personam, spectat; & eorum vim atque effectus sequitur.

§. 14.

Hinc & tenetur ut negotiorum gestor ad restituendos omnes fructus, tanquam ex re aliena perceptos: & è contrario repetit, quicquid utiliter impendit: culpam verò præstat pro natura negotii, quod gestum vel contractum est. Nec adverteatur,

G

quod



quod non habuerit animum negotii gerendi, sed rem suam curandi: Ea enim differentia non pendet ab ipsius animo, sed ex natura causæ, ut dictum *supr.*  
*§. 11.* Nec privati pacto communi, nedum arbitrii unius, negotiorum formas jure publico constitutas mutare, multominus quæ toto genere differunt, seu ipsa summa jurium genera, confundere. *l. 38. de Pact. & sim.*

*§. 15.*

Estque hæc species, cum quis bonâ fide sine titulo possidet, verissimum exemplum ejus, quod refertur *in l. fin. ff. de Neg. gest.* ubi negotiorum actio (non realis) danda dicitur, *si negotium, quod tuum esse existimares, cum esset meum, gessisses.* Is enim ipsissimus hic casus est: nam is, qui possidet sine titulo, bona fide putat suum esse negotium, cum sit alterius. Et comparantur ibi duo hi casus, cum gestor putavit suam esse rem vel negotium, cum fuerit Seji: & cum scivit non esse suum sed alterius, putavit verò esse Seji, cum fuerit Maxii. *d. l. fin. d. l. 14. §. 1. l. 29. ff. Comm. div.*

*§. 16.*

Quin imò est ipsamet illa species famosissimæ *l. 45. ff. de Usur.* cujus evolvendæ gratiâ hæc potissimum materia electa est. Jam enim ex iis, quæ tractata sunt, liquidissimè sensus *d. l. 45.* & sponte suâ se aperit, ita ut nec opus jam sit explicatione. Ibi enim agitur de bonæ fidei possessore, qui titulum non habet, nec fructus acquirit, ut acquireret possessor cum titulo. Species ejus breviter hæc est: Vir uxori (vel contrâ) fundum donavit: eam donationem jure eatenus non valere constat, quatenus ex re donata donans factus est pauperior & accipiens locu-

(51.)

locupletior. l. 5. §. 8. & §. 16. l. 25. ff. de don. int. vir.  
 Tria autem in re donata discernenda occurrunt:  
 1. Ipse fundus. 2. Fructus ejus naturales, ut poma, &c.  
 3. Fructus ejus industriales. Quoad fructus indu-  
 striales valet donatio: quia hos percipiendo non fit  
 locupletior donatarius ex re donata, sed ex sua in-  
 dustria: etsi enim ex fundo nascuntur, causa tamen  
 eorum singulis annis producendorum est semen quo-  
 tantis operâ donatarii noviter immissum: Hos ergo  
 donatarius possidet bona fide & justo titulo dona-  
 tionis, quæ quoad hos fructus valida est. Quoad  
 fructus verò naturales & fundum ipsum patet, Do-  
 nantem factum esse pauperiorem & accipientem  
 locupletiozem ex ipsa re donata; adeoq; donationem  
 nullam esse: atque idè donatarius eos possidet sine  
 titulo, cum titulus donationis hætenus non valeat.  
 Igitur nec fructus ejus naturales acquirit donata-  
 rius, etsi bonæ fidei possessor sit, quia titulo caret.  
 Quibus jam nihil planius.

§. 17.

Denique probatur hæc conclusio plenissime ex  
 d. l. 45. in fin. verbis: *sicuti nec cujuslibet bonæ fidei*  
*possessoris*: ubi negat Jctus, fructus fieri cujuslibet  
 bonæ fidei possessoris; dixerat autem hoc de b. f. pos-  
 sessore, cui titulus non fuit, quippe titulo donationis,  
 qui solus fuit, quoad fructus naturales jure improbato.

§. 18.

Concl. III. Si quis cum alio contrahens rem  
 meam, quam suam existimabat, ei vendidit, nego-  
 tii gestio est, etsi ille bona fide & justo titulo eam  
 possederat: quia non solus egit, sed cum alio nego-  
 tium gessit, adeoque hoc casu quæstio non est ex pri-

G 2

ore

(52.)

ore capite iurium in rem, an res mea sit? sed ex altero in personam, utrum negotium, quo tu rem meam vendidisti, & precium accepisti, tuum sit negotium, an meum? Resp. Meum esse negotium, etsi rem venditam putaveris esse tuam, quia opinionis tuæ error veritatem non mutat; quæ est species *d. l. ult. ff. de Negot. gest.*

§. 19.

Ex quo sequitur, idem dicendum esse, si tu heredem te esse putans, cum ego heres essem, legata de tuo solvisti: cum enim ille talis actus non sit, quo tu solus, ut dominus in re tua quid egisti, sed cum legatariis rem gessisti, constat negotium gestum fuisse, & quæstionem esse, non cuius res soluta, sed cuius negotium fuerit? Et patet meum negotium fuisse, qui verus heres sum & legata debui. Consequens igitur est, me tibi teneri negotiorum gestorum actione contrariâ; quod pariter ita decisum est *in d. l. ult. in fin.*

§. 20.

Hinc contrarium planè statuendum esse ex iisdem fontibus liquet, in eodem casu, quo Tu, heredem te existimans, cum ego essem, ædes, quæ in hereditate erant, fulsisti. Nullum enim negotium à te gestum est, sed solus, ut dominus in rem tuam, tui causâ, impensas fecisti: quæ quæstio ad primam classem pertinet; neque adeo hoc factò alium tibi, vel Te alii, obligasti. *supr. §. 13.* Igitur nulla tibi ex hac causa actio adversus me datur ad impensas repetendas. Qui est casus *l. 33. in fin. ff. de cond. indeb.*

§. 21.

Cui proinde simile est, cum ædificium in meo solo posuisti, cum tuum putares, & cui adeo solo meo ædifi-



(53.)

ædificium cessit. Nullum enim negotium gestum est; neque à te, qui quasi in rem tuam, ut dominus, impendisti; neque à me, qui solo meo, & quod ei impositum est cessitque, ædificio utor. *per. §. 18. supr. aded ut, licet Tu ipse possessionem ejus mihi tradideris, non ided magis tamen quicquam negotii contractum sit, quia rem & jus meum non sum nactus ex hac traditione tua, sed ipsa potestate juris gentium, quo ædificium cedit areæ. Secus ac cum mihi indebitam pecuniam solvisti: id enim negotium est, quod mecum egisti: Quæ est species eleganter exposita in d. l. 33. princ.*

§. 22.

Concl. IV. Si quis verò non errans, sed sciens rem alienam vel communem, suâ causâ & sibi gerat, indistinctè negotium gestum videtur, nec ad quæstionem seu classè justî dominii unquam id referri potest, cum è contrario actus Prædonis & malæ fidei sit. *supr. §. 1.* Etsi igitur animum non habuerit negotii alterius gerendi, sed sibi & sui lucri causâ, non alteri, gesserit, non tamen ided minus, sed imo magis tenetur, quàm si bona fide, domini causâ & licitè gessisset: quia ad gestionem accessit prædonia invasio, quæ obligationem auget, non minuit. Ipse ergò hóc magis tenetur negot. gestorû acti-  
ne directâ; sed vicissim agere non potest contrariâ ad impensas; quia ex sua mala fide actio ei non datur. *sect. I. §. 2.* Quatenus tamen dominus inde factus est locupletior, eatenus eum teneri naturâ æquum est. *arg. l. 14. ff. de cond. ind.* Estque hæc decisio & casus *l. 6. §. 3. ff. de Neg. gest.*

§. 23.

In omnibus igitur his casibus sedulo discernitur,

G 3



tur, utrū negotium gestum sit; ex quo dominus omnes fructus, gestor impensas repetit: an tantū quæstio iusti dominii sit, quo quis ex iusto titulo dominum se putans, tanquam in re sua quid egit: ex eo enim omnes ipse fructus perceptos sibi acquirit; impensas autem non repetit: quia eō factō nec alium sibi, nec se alii, obligat; nec negotium gessit, sed ut dominus de re sua disposuit.

## §. 24.

Verumtamen, etsi impensas actione, vel ex obligatione, de iure repetere non possit, si tamen rem adhuc habet, æquitate juris Prætorii impensas utiles per retentionem, opposita exceptione doli, (quo significatur, quicquid æquitati naturali non congruit. *l. 1. ff. de dol. mal. exc.*) servare potest. *d. l. 33. in fin. ff. de condict. indeb. l. 14. ff. de Dol. mal. exc.* Isthæc verò æquitas moribus nostris in id aucta & firmata est, ut actionem quoque pariat: quæ proinde est condictio ex moribus.

FINIS.







Heulefort a. d. O., Diss., 1716-18


ULB Halle

3

005 350 808







DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE

**POTESTATE JU-  
STI TITULI IN FICTO  
DOMINIO,**

*Ad l. 45. ff. de Usur.*

Quam  
DIVINI NUMINIS AUSPICIO,  
EX DECRETO ET AUTORITATE MAGNIFICI JCTORUM  
ORDINIS,  
IN ILLUSTRJ HAC VIADRINA,  
PRÆSIDE

**DN. HENRICO de COCCEJO,**

JCTO FAMIGERATISSIMO,  
AUGUSTI ET POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS  
CONSILIARIO INTIMO, FACULTATIS JURIDICÆ ORDINA-  
RIO, SENIORE ET PROFESSORE PRIMARIO,

*Patrono ac Promotore suo omni honoris & observantia  
cultu de venerando,*

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA  
RITE CONSEQUENDI,

*Ad Diem Junii An. MDCCXVII.*

Horis ante & pomeridianis Publico Examine  
submittet

**JOHANNES CHRISTIANUS WELLMANN,**

Magdeburgicus,  
Judicii Francofurtensis Secretarius.

FRANCOF. ad VIADR. Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.